Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractio de incarnatione - Cod. Ettenheim-Münster 198

Mangillius, Antonius

[S.l.], 1632-1634

Conclusiones

urn:nbn:de:bsz:31-117158

Visual Library

CONCLVSIONES
De Sacramento Eucharistiæ.

1ª

Eucharistia Sacramentum est vnum, & propriè dictum Sacramentum noua Legis. Essentialiter differt a reliquis omnibus sacramentis, tum ratione materiæ & formæ, tum ratione finis. Proprius illius finis est nutrire spiritualiter animam, & eius vitam spiritualem augere. Christi corpus & sanguis sunt pars materialis huius Sacramenti. Idem asserimus de speciebus, siue accidentibus consecratis. Actualis sumptio non est pars eiusdem sacramenti, est tantum conditio, sine qua hoc sacramentum non causaret effectum suum.

2ª

Verba consecrationis sumpta secundum suum esse actuale etiam physicum sunt forma, siue pars formalis eiusdem sacramenti in fieri, eadem verba sumpta secundum suum esse actuale præteritum non sunt forma, neq; pars huius sacramenti in esse permanenti. Sumpta secundum suum esse morale, siue (: quod idem est:) negatio revocationis eorundem verborum non est conditio sine qua non requisita ad hoc, vt verba præterita secundum suum esse actuale significent Christi corpus esse sub speciebus pro tempore consequenti dividens terminatiuum eorundem verborum. Eadem negatio revocationis verborum præteritorum vt succedens, est pars formalis, siue forma sacramenti Eucharistiæ in esse permanenti.

3ª

Materia remota, id est consecrabilis eiusdem sacramenti debet esse determinata quoad magnitudinem naturaliter loquendo, non ratione magnitudinis, sed ratione distantiæ. Debet esse determinata quoad caritatem. Materia insensibilis quocunq; sensu, per se sumpta non potest consecrari: materia insensibilis quocunq; sensu, contigua cum alys consecrari potest. Materia omnino inuisibilis, sed alio sensu licet vnico peregribilis potest consecrari. Puncta & linea materiæ

conse-

consecrabilis, licet sint aliquo positiuum, siue actu destructum ab entitate diuisibili materiæ, hic tantum per assignationem distinguibile, non possunt per se sumpta consecrari, superficies poterit quidem validè consecrari, sed non licitè.

4ª

Panis triticeus & vinum de vite est materia remota huius sacramenti. Vinum, cui modicum aquæ mixtum sit, adæquatè sumptum est materia sacramenti sanguinis Christi, siue quod idem est, aqua vino permixta potest immediatè conuerti in Christi sanguinem.

5ª

Conuersio substantialis prout est ratio quædam communis conuersioni substantiali naturali, & conuersioni substantiali supernaturali, est transitus vnius substantiæ in aliam substantiam, siue desitio vnius subdantiæ ex positione alterius substantiæ. Vterq; terminus eiusdem conuersionis debet esse positiuus & substantialis, siue potius substantia. Ad huiusmodi conuersionem necessario requiritur, vt substantia, quæ est terminus a quo, per conuersionem desinat esse; substantia quæ est terminus ad quem mediatus & vltimatus debet succedere in prioris substantiæ locum, vel munus sustentandi accidentia ab ea relicta. Non est necesse, vt eadem substantia quæ est terminus ad quem de nouo producatur, aut per nouam actionem conseruetur, vel acquirat vllum modum substantialem.

6ª

Ad huiusmodi conuersionem necessario requiritur, vt desitio substantiæ, quæ est illius terminus a quo, sit physicè dependens a successione, vel positione substantiæ, quæ est terminus ad quem; idem termini debent habere incompossibilitatem inter se respectu alicuius tertij. Ad huiusmodi conuersionem physicam, vel simpliciter dictam, non sufficit moralis incompossibilitas terminorum. Necessaria est incompossibilitas physica.

7.

Post consecrationem panis & vini, neq; manet tota eorum substantia, neq; forma, neq; materia, sed hæc omnia destruuntur. Id colligitur ex veritate verborum sacramentalium mediatè, siue suppositis earundem rerum naturis.

Ser conse:

8.

Per consecrationem fit vera panis conversio in Christi corpus, et vini in sanguinem. Eadem conversio est transubstantiatio totius substantiæ panis in substantiam Corporis, et totius substantiæ vini, in substantiam sanguinis Christi. In eadem conversione reperitur incompossibilitas physica inter terminum a quo, et terminum ad quem, alias illa non esset conversio physica, vel simpliciter dicta.

9.

Corpus et sanguis Christi in conversione sacramentali non producitur de novo, neq conservatur per novam actionem diversam ab ea, qua conservatur in Celo, neq ullus modus substantialis in eodem Christi corpore producitur.

10.

Per conversionem sacramentalem nec ulla virtus motiva, nec quoquam alius producitur in accidentibus sacramentalibus. Per illa producitur in Christi corpore continentia passiva sub ipsis accidentibus, ea verò continentia necessario includit modum accidentalem inhærendi existentem in eodem Corpore, et adhærendi in accidentibus, ratione cuius modi idem Corpus unitur panis accidentibus, et cum ys constituit unum in ratione mobilis, ita vt ys motis, etiam ipsum necessariò moveatur.

11.

Præterea eadem continentia passiva Corporis Christi sub accidentibus consecratis involvit actionem, qua Christi corpus supernaturaliter sustentat eadem accidentia in genere causæ efficientis. Ex eadem actione idem Corpus elevatur per accidens supernaturale superadditum, quod re ipsa non distinguitur ab accidente, quo Christi corpus unitur cum accidentibus sacramentalibus.

12.

Conversio sacramentalis non involvit panis aut vini annihilationem, siquidem panis ac vini destructio, quæ interveniunt in eadem conversione, non est merè negativa, cum dependeat ab actione positiva naturaliter incompossibili, quod repugnat annihilationi, sicut ei repugnat, quod aliqua pars termini a quo eiusdem annihilationis remaneat, quamvis ipsi non repugnet, quod terminus

a quo

a quo remaneat in potentia alicuius subiecti.

13.

Christus totus est sub accidentibus panis, & sub accidentibus vini, & sub singulis eorundem accidentium partibus, quantumuis paruis & insensibilibus, est etiam sub indiuisibilibus illorum, si ea sint aliquid positiuum, siue actu distinctum, siue per assignationem distinguibile ab entitate diuisibili, sub ysdem etiam sit quantitatem & reliqua omnia accidentia a loco independentia, quæ debentur illi ratione naturæ humanæ, vel gratiæ, vel beatitudinis, aut vnionis hypostaticæ.

14.

Christus sub accidentibus panis habet etiam adiunctum Sanguinem & reliquos humores vna cum spiritibus vitalibus, & animalibus. Solum Christi corpus ex vi verborum sacramentalium est sub accidentibus panis. Solus Christi sanguis est eodem modo sub accidentibus vini. Contra vero Corpus sub accidentibus vini, Sanguis sub accidentibus panis est per concomitantiam. Deniq accidentia Corporis & Sanguinis, anima ipsis Christi, Persona Verbi, cum reliquis duabus Personis diuinis sunt solum per concomitantiam sub vtraq specie.

15.

Christi Corpus & Sanguis sunt in Sacramento Eucharistiæ mobiliter, nimirum ita vt verè moueantur ad motum specierum sacramentalium. Non tamen sunt in illo vt in loco circumscriptiuè, aut definitiuè, neq pro vt in illo sunt, pati possunt ab extrinsecis agentibus naturalibus.

16.

Accidentia panis & vini, quæ ab eorum substantia realiter distinguuntur, remanent in Sacramento Eucharistiæ absq omni subiecto vltimo. Nullum tamen habent modum positiuum, ratione cuius existant per, vel compleantur in ratione accidentis. Desinunt continere Christum sub se, quando incipiunt esse insufficientia ad conseruationem formæ panis, aut vini. Possunt misceri cum alys rebus siue liquoribus, & simul retinere sub se Christum.

Species

17.

Species Sacramentales possunt nutrire, & ex ijs potest generari noua substantia. Huius generatio tribuenda est agenti naturali. Substantia sub ijsdem accidentibus genita non contrahit ex forma & quantitate gerente vicem materiæ, condiat ex forma & materia de nouo a Deo creata, numero distincta a materia panis, & vini, quæ per consecrationem destructa sunt.

18.

Ad formam consecrationis panis sunt necessaria, & sufficientia illa verba, Hoc est Corpus meum, vel æquivalentia. Ad formam consecrationis vini necessario requiruntur, & sufficiunt illa, Hic est Calix sanguinis mei, vel æquivalentia. Sacerdos verba vtriusq; formæ profert non merè historicè, aut recitatiuè, sed affirmatiuè vel significatiuè in persona Christi. Eadem formæ operantur non ratione veritatis, sed ratione significationis, & ideo prius natura sunt significatiuæ, quàm veræ, quamuis etiam in illo priori sint verba primæ veritatis, & ideo sunt necessariò determinata ad veritatem formalem.

19.

Sacramentum Eucharistiæ producit effectus suos, cum primum tangit stomachum suscipientis. Effectus eiusdem Sacramenti, per se loquendo, est augmentum gratiæ & remissio peccatorum venialium. Probabile est etiam vi eiusdem Sacramenti posse remitti peccatum mortale, cuius non sit affectus, sed inuincibilis ignorantia in suscipiente attrito.

20.

Non plus gratiæ confertur communicanti sub vtraq; specie, quàm sub vna tantùm, nisi in dispositione varietas intercedat, sicuti neq; plus gratiæ confertur suscipienti plures hostias, vel hostiam maiorem, quam alteri suscipiensi vnam tantùm vel minorem æquè disposito.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

87

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

82

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

83

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

G. H. BIBLIOTHEK KARLSRUHE

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST